Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2673

Quelle:
Copyright:

que hic in globo indicantur. Quaedam tamen ex iis delibare visum est. *Codicem* (595) ordiuntur piae Precationes Psalmis, Hymnisque permixtae ad Deum et Coelites nitide exaratae. A *fol.* 71. habentur *Tractatus Bonauenture de Contemplatione Sacramenti Corporis Christi* et quidam e *Sermonibus Bernardi in Cantica. Cod.* (597) *fol.* 80. legitur Elenchus Vocabulorum latinorum bohemice redditorum inscriptus: *Vocabula post magistrum Rokycanum pie memorie. Cod.* (598) *fol.* 163. elegans *Hymnus* Bohemicus notulis muficis impositus de Creatione, Lapsu et Reparatione Hominis, qui incipit: *Hospodine wssemohuczy* &c. *Cod.* (600) *fol.* 61. p. 2. incipiunt variae *Formulae Contractuum* lingua bohemica. *Cod.* (601) *fol.* 104. Collectio *Formularum* in Foro Iudiciali Regni *Hungariae* olim usitatarum capite truncata, quae duabus *Partibus* constitisse videtur. Membrum primum mutilum finit: *Et sic de formis proclamatorijs acta sufficiant.* Sequitur Titulus: *Secuntur tractatus quando iudicia per homines Iudicis Curie Regie vel domini Palatini uel conuentuum et Iudlium* (Iudicum Nobilium) *iuxta huius Regni consuetudinem exigi solent a comitis.* Deinceps *Forma Relatoria dependens ad eandem materiam* quintuplex. *Forme quotacionis. De formis duellandi. De formis compositionalibus. Forme omissionales* &c. Nihil de hac Collectione, in qua *Elisabetha* et *Sigismundus* memorantur, apud *Verböczium*, aut in *Corpore Iuris Hung.* An ad *Mathiae* Regis tempora, Doctoresque ex *Italia* vocatos pertineat, qui teste Cl. *Ign. Stepb. Horváth Biblioth. ICtor. Hung.* T. I. p. 74. coeperunt formulas praescribere, quibus esset petendum, quibus respondendum atque excipiendum &c. dispiciant veteris Iuris Hungarici periti. Incuria Eorum, qui haec 18. Volumina compingenda dedere, folia *bina* ad praesentem *Formularum* Συλλογην pertinentia habentur *Cod.* (599) p. 52. *Cod.* (604) p. 1. occurrit *Georgii Trniczy de Trnicze* Epinicion Slavobohemicum, quo describuntur Ludi equestres a. 1562. a *Ferdinando* Archid. *Pragae* in adventu *Maximiliani* Regis Boh. et *Caroli* Archid. feria 4. ante festum Purificationis et Dom. Quinquagesimae instituti, *Carolo* Archid. primum victoriae praemium obtinente, secundum vero ejus Adversario Equite *Joan. Dleskone Chynsky de Wchynicz et Woparma. Cod.* (605) p. 13. Dissertatio: *Vtrum sacerdos simplex articulo mortis imminente absdiuine legis violacione personas habiles possit in sacerdotes ordinare.* Autor non contentus id asserere, Episcopum etiam a Sacerdotibus simplicibus consecrari posse contendit. *Rossii* possessoris manu praefixum est nomen *Magistri Jacobelli*, qui ad has Assertiones fortassis inductus est a difficultate inveniendi Episcopum, qui suae factionis hominibus sacros Ordines conferre vellet. P. 73. principio mutila sequitur *Epistola Maximil.*